



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 61. Gubernatrix Urbem ingressa triumphantis in modum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul XVI. destinata ad Gubernatricem legatione
 A.C. 1567. veniam exorantes anteaқта deprecantur, seque futuros pollicentur in potestate Regis, atque Episcopi, nam Trajectum partim Leodiensi paret Antifiti, partim Brabantia Ducis. Horum exemplum sequebantur Buscoducenses, seu Sylva-Ducenses, necnon Antverpiani, unde Gubernatrix tam prospero, atque inexpectato successu læta omnibus summam indulfit clementiam, atque Antverpiam venire festinavit, ut carissimi populi sui conversionem præsentia sua honestaret.

§. LXI.

Gubernatrix urbem ingressa triumphantis in modum.

*Strada &
Thu. l. c.*

Gubernatrix ut ipsius in urbem ingressus eo augustior, magisque tutus esset, sexdecim lectissimorum peditum signa præmisit Ductore Petro Ernesto Comite Mansfeldio, qui, ne aut exauthorati Antverpiæ milites, aut factiosi cives aliquid forte turbarent, præmissis militarium impedimentorum vehiculis, atque ad viarum capita objectis, veluti pugnaturæ agminæ urbem intravit, ubi dispositis continenti ordine per vias, ac fora majoribus, minoribusque Sclopetariis excepit Gubernatricem, quæ extremo mense Aprili sequebatur, ingenti

genti prorsus pompa non armatorum modo, qui mille, ac ducenti fuere, sed Magistratum etiam, Præfectorumque provinciarum, ac Procerum aurei Velleris, Consiliique Senatorum: igitur Gubernatrix urbem ingressa Dei Matris Ecclesiam quam furentes hæretici devastaverant, recta petebat, ubi solemniter decantato gratiarum hymno ipsa dein animum ad ordinandam rempublicam intendit, ac prima quidem Sacrorum, Religionisque cura fuit; præprimis enim evocato Antverpianæ Cameracensi Episcopo, aras, ac templa, quæ sacrilegi aut diruerant, aut profanaverant, restitui, & statis ceremoniis expiari iussit, & de doctis, atque impigris animarum Pastoribus providit. Dein ad civitatis administrationem conversa quæstiones instituit de rebellionis capite, deque Magistratum sive ignavia, sive perfidia, ac simul indicem armorum, quibus populum exuerat, confici præcepit.

§. LXII.

Protestantium Germanicæ Principum Legatio.

Rebus omnibus ita a Gubernatrice dispositis nuntiatur, adventare Legatos a Saxone, & Brandenburgio Imperii Septemviris, a Wirtenbergensi Duce,

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.